



Tractatvs De Sacramentis Et Censvris

Hurtado, Gaspar

Moretus, 1633

Dispytatio XVII. De Cognatione naturali, seu ex sanguine, quæ dicitur
consanguinitas.

[urn:nbn:de:hbz:466:1-94788](https://nbn-resolving.org/urn:nbn:de:hbz:466:1-94788)

vt optimè dicti Doctores, de Ordine sacro, meti quantumvis grauissimo, voluntariè suscepto; imò etiam credimus, tunc non tantum dirimere ratione iuris ipsi annexi, sed etiam ratione voti solemn- nis castitatis ipsi annexi. Et ob eandem rationem idem est dicendum de Ordine sacro cum igno- rantia, quamuis inuincibili dicti iuris & dicti voti suscepto, vt contra Vasquez docet Sancius disp. 27. quamuis tunc non ratione voti, quando Ordo sus- cipitur cum ignorantia inuincibili annexionis voti, quia sic ignorans voti annexionem, id non efficit adhuc implicite.

Et multò melius Ordo sacer ante pubertatem post vsum rationis susceptus dirimit matrimo- nium, vt contra Sancium docet Egidius, & tunc Egidius, non tantum ratione Iuris Ecclesiastici ipsi Ordi- ni annexi, sed etiam ratione dicti voti, quia votum istud, quamuis solemnne, validè fieri potest ante decimum sextum annum, etiam si ante eum pro- fessio solemn- in Religione sit nulla, ob peculia- rem dispositionem Iuris circa professionem, quæ non est circa dictum votum, quamuis solemnne.

DISPUTATIO XVII.

De Cognatione naturali, seu ex sanguine, quæ dicitur consanguinitas.

DIFFICULTAS I.

Quid sit Consanguinitas, & quomodo eius gradus computentur.



CIRCA prius, consanguinitas (quæ dicitur quasi sanguinis vnitas) definitur, quòd sit propinquitatis duarum personarum per carnalem propagationem contracta, quarum ambo ex eadem descen- dunt, vel vna ex altera. Vnde consanguinitas est quædam mutua relatio seu habitudo coniunctionis in sanguine, requirens pro cõditione natiuitatem.

Distinguitur autem consanguinitas per gradus & lineas. Gradus est habitudo coniunctionis vnus consanguineus ad alterum, ac proinde requirit duo extrema, vnum tamquam subiectum, & alterum tamquam terminum. Linea verò est plurium ha- bitudinum coniunctionis consanguineorum ordinata collectio. Linea autem est duplex, vna recta, altera transversalis seu collateralis. Recta est collectio habitudinum eorum consanguineorum, quorū vnus ab alio originatur. Transversalis verò est collectio habitudinum ab eodem stirpe descenditum, quo- rum nullus originatur ab alio. Recta autem est duplex, per solam nostram rationem duplicata: vna est ascenditum, quæ est collectio habitudi- num prout considerantur ab stirpe versus descen- dentes: altera descenditum, quæ est collectio ha- bitudinum prout inuerso ordine considerantur à de- scendentibus versus stirpem.

Circa posterius, ad dignoscendos seu nume- randos gradus, triplex regula à Doctoribus tradi- tur. Prima est: In linea recta tot gradibus vnus al- ter coniungitur, & ab eo distat, quot generationibus vnus descendit ab altero. Vnde filius est in primo gradu cum patre, quia ab eo vna generatione de- scendit; & nepos est in secundo cum auo, quia ab eo descendit duabus generationibus, vna, qua suus pater immediatè descendit ab illo, & altera, qua ipse immediatè descendit à patre suo, medio quo descendit à suo auo.

Secunda regula habita in can. Ad sedem. & in can. Parentela. 35. q. 5. est: In linea transversali aequali tot gradibus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot quilibet coniungitur suo communi stirpi

proximo, & ab eo distat, quia tantum ratione illius coniunguntur, & in ordine ad illum distant. Vnde duo fratres inter se sunt in primo gradu; quia in eo gradu sunt cum suo communi stirpe proximo, medio quo inter se coniunguntur, & in ordine ad quem distant.

Tertia regula habita in cap. fin. de Consanguini- tate est: In linea transversali inaequali tot gradi- bus vnus coniungitur alteri, & ab eo distat, quot is, qui remotior est à communi stirpe proximo, ei con- iungitur. & ab eo distat, quia solum coniungun- tur ratione communis stirpis proximi; ac proinde nequeunt magis inter se coniungi, quàm remo- tior illi coniungitur. Vnde patruus & consobrinus sunt in secundo gradu; quia consobrinus est in se- cundo cum proximo stirpe amborum.

Obseruandum est, in prima regula, conuenire Ius civile cum canonico, non verò in secunda, neque in tertia; quia Ius civile numerat omnes gradus qui reperiuntur in duabus personis, quæ transversaliter comparantur. Vnde Iure civili duo fratres sunt in secundo gradu; quia in quolibet est vnus gradus respectu proximi stirpis, vtrique communis; & patruus & sobrinus in tertio, & duo filij duorum fratrum in quarto.

DIFFICULTAS II.

Vtrum Consanguinitas dirimat Matrimo- nium iure aliquo positiuo.

Conueniunt Doctores, consanguinitatem nullo Iure diuino dirimere matrimonium; quia non Iure aliquo Euangelico, quia nullum circa hoc exstat; neque Iure aliquo veteri, quia quamuis in veteri lege Leuitic. 18. consanguini- tas in aliquot gradibus dirimeret matrimonium, etiam in primo lineæ rectæ, in quo etiam dirimit iure naturali; tota tamen lex vetus, vt positua, cef- sauit morte Christi; dirimere tamen Iure Eccle- siastico, vt constat ex capp. statim citandis.

Obseruandum est, quòd quamuis consanguini- tas olim dirimeret vsque ad septimum gradum inclusiue, vt constat ex can. Ad sedem. 35. quæst. 5. iam tamen non dirimit nisi vsque ad quartum gra- dum, inclusiue tamen, vt constat ex cap. Non de- bet. 8. de Consanguinitate.

DIFFICULTAS III.

Utrum Consanguinitas in primo gradu lineæ rectæ dirimat Matrimonium Iure naturali.

6 **C**onueniunt Doctores, consanguinitatem in primo gradu lineæ rectæ Iure naturali dirimere matrimonium, quia usus coniugalis, ad quem matrimonio confertur ius iustitiæ, nequit ex sua natura, & ex suo obiecto, & semper, & in communi casu non esse inhonestus in dictis consanguineis, nempe in filio & in matre, & in patre & in filia; cum nequeat non esse contra reuerentiam suapte natura debitam ascendentibus; ergo nequit conferri ius iustitiæ ad eum actum, utpote semper ex obiecto inhonestum, & rationi dissonum, ac proinde consanguinei in dicto gradu sunt inhabiles ad matrimonium, quo predictum ius confertur: sunt autem inhabiles inhabilitate orta ex natura dictæ consanguinitatis, ac proinde Iure naturali.

Est tamen difficultas, An consanguinitas in dicto primo gradu dirimat matrimonium in casu extremæ necessitatis propagandi genus humanum, ut si in mundo tantum superessent mater & filius, aut pater & filia.

7 **Sancius.** lib. 7. disp. 51. **Henriquez** lib. 12. c. 9. & **Basilius** cap. 31. negant; quia damnum priuatum irreuerentiæ, quæ fit ascendenti copula & matrimonio ad eam ordinato, debet cedere damno communi interitus vniuersi.

Caietanus. Ledesma. **Egidius.** Caietanus verò 2. 2. q. 154. art. 9. Petrus Ledesma q. 54. art. 3. diff. 1. & **Egidius** disp. 32. n. 14. affirmant, & merito: quia etiam in casu dicto interrogatur irreuerentia ascendenti copula & matrimonio opposito pietati, aut obseruantia, cui priuatus cedere aut acquiescere nequit, cum sit opposita pietati aut obseruantia, & non iustitiæ, cuius damno potest ex rationabili causa cedere & acquiescere. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Ex concessione tamen Dei, qui potest debitum reuerentiæ erga ascendentes extinguere, aut aliter coniunctionem inter dictos consanguineos honestare, poterit inter eos matrimonium validè contrahi.

DIFFICULTAS IV.

Utrum Consanguinitas in omnibus alijs vltioribus gradibus lineæ rectæ, præter primum, dirimat Matrimonium Iure naturali.

8 **Sancius.** lib. 7. disp. 51. **Sotus** in 4. d. 40. q. vnic. art. 1. **Valentia** d. 10. quæst. 5. punct. 3. **Couarruias** 4. Decretal. 2. part. cap. 6. §. 6. **Ludouicus Lopez** 2. par. Instructoriij cap. 49. **Angelus** & **Rosella** docent, consanguinitatem non dirimere matrimonium Iure naturali in omnibus alijs gradibus vsque ad Adam; aut quia consanguinitas, quæ est quædam sanguinis participatio, tandem euanesceat, aut quia in accessu carnali inter coniunctos in remotioribus gradibus, non sit irreuerentia saltem sufficiens ad dirimendum matrimonium.

Doctores tamē isti non conueniunt in assignando gradum, ultra quem consanguinitas non dirimat. Quia **Sancius** existimat, non dirimere ultra primum gradum; **Sotus** & **Valentia**, non dirimere ultra secundum; **Angelus** & **Rosella**, non dirimere ultra quartum; **Ludouicus Lopez**, ultra septimum; **Couarruias** verò, non dirimere ultra vigesimum.

Sotus verò in 4. dist. 40. quæst. vnic. art. 2. **Belarminus** 1. de Matrimonio c. 18. **Egidius** dist. 32. dub. 1. **Basilius** l. 7. c. 31. & **Vasquez** 1. 2. disp. 112. docent, consanguinitatem suo Iure naturali dirimere matrimonium in quocumque gradu lineæ rectæ, etiam vsque ad Adam, & merito: quia quicumque ascendenti, etiam remotissimo, debetur Iure naturali reuerentia, utpote principio naturalis, & per se; quilibet autem ascendens, quantumvis mediatius & remotus, est principium per se descendens; quia mediatius ea ratione, est principium sui descendens remoti, quæ est sui primi descendens, quia medio proximo descendente est principium aliorum; in copula autem carnali ob eius turpitudinem fit irreuerentia principio naturali, & naturaliter superiori, & inæquali.

Vnde, ut aduertit **Egidius** num. 18. in linea recta non tam attenditur participatio sanguinis (ut attenditur in transversa) quam ratio principii, quæ ratione sui exigit reuerentiam a principium, ac proinde in copula cum ascendente, quantumvis remotissimo, etiam si consanguinitas seu participatio sanguinis euauerit, semper reperitur irreuerentia, & sufficiens ad dirimendum matrimonium ordinatum ad illam.

DIFFICULTAS V.

Utrum Consanguinitas in linea transversali Iure naturali dirimat Matrimonium.

Conueniunt Doctores, consanguinitatem in secundo & vltioribus gradibus lineæ transversalæ non dirimere matrimonium Iure naturali, quod supponit **Innocentius III.** in cap. *Gaudemus* de Diuortijs, dum ait, Infideles ad fidem conuersos, qui antea in secundo & in vltioribus gradibus contraxerant, non esse separandos: quod supponit, eos validè contraxisse. Et sanè inter eos in linea transversa nulla est superioritas naturalis, & à secundo gradu non est tanta sanguinis coniunctio, ut in eorum carnali coniunctione fiat irreuerentia, quamvis posset esse aliqua indecentia, præsertim in secundo.

Est tamen difficultas, An consanguinitas in primo gradu lineæ transversalæ dirimat matrimonium Iure naturali, ut inter fratrem & sororem.

Abulensis *Leuit.* 18. q. 5. **Sotus** in 4. dist. 40. quæst. unica, art. 4. **Sancius** lib. 7. disp. 52. & **Vasquez** 1. 2. dist. 112. partem affirmatiuam mentantur, quibus fauere videtur **Innocentius III.** ubi loquitur, dum ait, conuersos ad fidem, qui antea in secundo & in vltioribus gradibus contraxerant, non esse separandos; quo videtur supponere, separandos esse, qui in primo gradu contraxerant, ac proinde eorum matrimonium fuisse nullum, & Iure naturali, quia ante Baptismum non tenebatur Iure Ecclesiastico. Et ratione probatur, quia in copula

copula inter fratrem & sororem est mutua irreuerentia ob tantam sanguinis coniunctionem, ergo contractus matrimonij ad copulam ordinatus, nequit esse validus inter illos.

12 Scotus. Caetanus. Egidius. Basilius.
Scotus verò in 4. dist. 40. Caetanus 2.2. q. 154. art. 9. Egidius d. 32. num. 19. & Basilius cap. 32. partem negatiuam tradunt, & merito: quia nullo sufficienti fundamento ostendi potest, ex natura rei, seu Iure naturali deberi reuerentiam consanguineis, qui non sunt ascendentes, & naturaliter superiores: ergo absque sufficienti fundamento dicitur, in copula inter ipsos irreuerentiam reperiri ex natura rei, & eorum matrimonium ad eam ordinatum, esse ex natura rei nullum, imò & esse illicitum, quamuis ob tantam sanguinis coniunctionem in primo gradu indecentia manifesta repe-

riatur in copula inter eos, & in matrimonio ad eam ordinatum: ob quod ferè ab omnibus gentibus fuit Iure positio veritum. Ex quo constat ad rationem aduersariorum.

Innocentius autem III. ubi suprà tantum definiuit id quod certum erat circa id quod sibi fuit propositum, an scilicet coniuges consanguinei in secundo & vltioribus gradibus coheresi ad fidem essent separandi: circa consanguineos verò in primo, quia sibi non fuit propositum, nihil definiuit.

Ex dictis constat, ex quatuor gradibus consanguinitatis olim prohibitis Leuit. 18. duobus lineæ rectæ, & duobus transversis, duo tantum lineæ rectæ, qui erant primus & secundus, dirimere matrimonium Iure naturali.

DISPUTATIO XVIII.

De Cognatione spirituali.

DIFFICULTAS I.

Quid & quodplex sit Cognatio spiritualis.



COGNATIO spiritualis est propinquitas quedam inter aliquos ex Baptismo & ex Confirmatione proniens, vt deducitur ex cap. finali de Cognatione spirituali, in 6. qua Iure adhuc antiquo tantum erat triplex, nempe paternitas, compater-

nititas, & confraternitas. Paternitas, vt inter baptizantem & baptizatum, & inter confirmantem & confirmatum, & inter paternos ex vna parte, inter quos nunquam fuit nec est cognatio aliqua; & confirmatum & baptizatum ex altera. Compater-nitas, vt inter parentes carnales baptizati & confirmati ex vna parte, & baptizantem & confirmantem, & paternos ex altera; imò compater-nitas viri suscipientis de sacro Fonte cum patre carnali baptizati Iure antiquo etiam transfundebatur in vxorem antea cognitam. Confraternitas, vt inter baptizatum & confirmatum ex vna parte, & inter filios carnales baptizantis & confirmantis, & patrini ex altera, vt constat ex cap. 1. de Cognat. spirituali, in 6. & ex cap. Martinus. 1. & ex cap. Veniens. 7. de Cognat. spirituali, & ex can. De eo. 30. quæst. 1.

Trident.
Iure tamen nouo Tridentini sess. 24. can. 2. de Reformatione matrimonij, cognatio spiritualis restricta est, dum dicitur: Sancta Synodus statuit, vt vnus tantum, siue vir siue mulier, & ad summum vnus & vna baptizatum de Baptismo suscipiant, inter quos & baptizatum, & illius patrem & matrem, nec non inter baptizantem & baptizatum, baptizatumque patrem & matrem tantum, spiritualis cognatio contrahatur. Et infra: Ea quoque cognatio, qua ex Confirmatione contrahitur, confirmantem & confirmatum, illiusque patrem & matrem, ac tenentem non egrediatur. Vnde Iure Tridentini confraternitas spiritualis est omnino extincta, & compater-nitas inter paternos ex vna parte, & baptizantem & confirmantem ex altera, & transfusio cognationis mariti patrini Baptismi in vxorem.

Obseruandum est Primo, omnes dictas cogna-

tiones spirituales, etiam quæ perseverant post Tridentinum, Iure tantum Ecclesiastico introductas esse; nihilominus inter baptizantem & baptizatum, & inter confirmantem & confirmatum, præter cognationem paternitatis & filiationis, Iure Ecclesiastico inductam ex eo præcisè quod quis baptizet, quamuis non iustificet, & ex eo præcisè quod quis confirmet, quamuis non iustificet, etiam esse inter eos alteram paternitatem & filiationem spirituales, quando medio Baptismo & Confirmatione fit iustificatio, ortam ex Iure diuino naturali; qua supposita, diuina institutione Baptismi per modum generationis seu conceptionis in vtero Ecclesiæ, & supposita diuina institutione Confirmationis per modum natiuitatis quasi ex vtero Ecclesiæ, vt foris exponatur, ex eorum natura, quando iustificatur, oritur relatio paternitatis & filiationis spiritualis, non verò ex natura aliorum Sacramentorum, quamuis conferant gratiam, & efficiant filium; quia illam non conferunt per modum generationis, neque natiuitatis, neque ex illis ex eo præcisè quod administrantur, oritur Iure aliquo positio; quia nullum extat, imò in cap. finali de Cognat. spirituali, in 6. dicitur à Bonifacio VIII. ex nullo alio Sacramento cognationem spirituales oriri.

3 Addunt nihilominus Sancius, lib. 7. disp. 55. & Egidius disp. 32. dub. 2. fornicationem Confessarii cum femina quæ ei ordinariè cōfiteatur, etiam continere malitiam mortalem sacrilegij, quia est peculiariter prohibita intuitu reuerentiæ Sacramenti Pœnitentiæ debite, in can. Omnes, & in can. Siquis Sacerdos. & in can. Non debet. 30. quæst. 1. Emanuel verò Sā v. Confessio. num. 25. & Basilius lib. 7. cap. 38. docent, dictam fornicationem non continere nouam aliquam malitiam supra malitiam luxuriæ contra castitatem, & non absque probabilitate, vt ait Ledesma de Matrimonio, quæst. 36. artic. 2. quia si aliquam aliam superadderet, vt antiquitus superaddebat, maxime incestus spiritualis, ratione cognationis spiritualis filiationis & paternitatis contractæ inter Confessarium & feminam pœnitentem, vt significatur in dictis tribus canonibus adductis, & non sacrilegij ratione reuerentiæ Sacramenti Pœnitentiæ: hæc tamen cognatio, si antea contrahatur,